

Verum tamen contradictum siteadem canonica auctoritate, ut his quadraginta diebus supradictis ad nullam feminam nec ad propriam uxorem accedat, antequam illos XL dies poeniteat, nec in eis vestimentis utatur nisi tantum femoralibus. Et si forte habuerit vitae suae insidiatores, interim differatur ei poenitentia, donec ab episcopo parroechiae suae pax ei ab inimicis reddatur. Et si in infirmitate detentus fuerit, ita ut non possit digne poenitere, adhibenda est misericordia tamdiu, donec sanitati restituatur; si autem in longa egritudine occupatus fuerit, ad sententiam episcopi pertinebit, quomodo reum et infirmum sanare disponat.

In primo anno post XL dies totum illum annum a vino, a medone, a mellita cervisa, a carne, a caseo abstineat, nisi festis diebus, qui in illo episcopio publice apud cunctum populum celebrantur, et nisi forte in magno itinere vel in hoste vel longe aut diu ad dominicam curtem vel in infirmitate detentus. Tunc liceat . . . sabbatum redimere, ita duntaxat ut vel vino vel medone aut carne, id est una re de tribus utatur. Postquam domum veniat vel pausaverit, nullam potestatem

fecerit. Etei omnimodis ex canonica auctoritate interdicatur, ut in his diebus cum nulla femina miscetur nec ad propriam uxorem accedat nec cum aliquo homine dormiat, iuxta ecclesiam sit, ante cuius ianuas peccata sua defleat diebus et noctibus, et non de loco ad locum pergat, sed in uno loco his XL diebus sit. Et, si forte habuerit insidiatores vitae suae, interim differatur ei poenitentia, donec ab episcopo pax ei ab inimicis reddatur. Et si infirmitate detentus fuerit, ita ut non possit digne poenitere, differatur poenitentia, donec sanitati restituatur; si autem longa aegritudine detentus fuerit, ad sententiam episcopi pertinebit, quomodo reum et infirmum sanare disponat. Completis XL diebus, aqua lotus, vestimenta et calceamenta, quae a se abiecerat, rursus sumat, et capillum incidat.

Reg. II, 7.

In primo anno post XL dies totum illum annum a vino, medone et mellita cervisia, a carne et caseo et pinguibus piscibus abstineat, nisi festis diebus, qui in illo episcopio a cuncto populo celebrantur, et nisi forte in magno itinere vel in hoste vel diu ad dominicam curtem vel infirmitate detentus sit. Tunc liceat . . . sabbatum redimere, ita duntaxat ut una re de tribus utatur. Postquam domum venerit aut sanitati fuerit restitutus, nullam licentiam habeat redimendi.